

per noctem, et orabo ad Dominum caeli: et nuntiabit mihi quando faciet hæc, et ducam te per mediam Judæam, et ponam sedem tuam in mediâ civitate, et canis non mutiet linguâ suâ contra te, quoniam mihi hæc ostensa sunt à Domino. Non decauit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perfecti actibus, quod promisit. Deum regi alto sermone, imaginariis verbis blanditur, bellator animus lasciviâ solvitur, in amaro armorum torpent vires innumerabiles militum, luxu regifico nuptiarum pompa nullo nubente construitur, cuncti ebrietate solvuntur. Non delicata matrona pugnavit: sopor tibi, quem ferias præparavit. Constructo thalamo concitatur ad duces pronum amore, victum somno, eisum virum in strato bellatoris crines implicuit pulchritudine digitorum, post teneitudinem fusi, ebeni capulum quærit. Mucro matronam non terruit, sed armavit, quæ ita pugnavit. Coruscus ensis caput abstulit hosti, persolvitur, in patriis mœnibus victoria suspenditur; armis stupentibus cunei densantur, præpostero ordine triumphant. Sequitur bellum; vino fusi, soluti somno in certamen nec clamore provocante consurgunt, teguntur armis coruscantibus montes. Quid alienigena fremis? quid bella componis? quid aciem paras habens quem in cubiculo quæras? Omnem varium furoris impetum retine, tantum vobis reliquimus duces, agnoscentiam partem habemus in portâ pendentem; tantam animus de Deo suscepit largitatem, quantum crudelitas tibi poterit vindicare.

TERTIA LIBRI PARS.

De iis quæ Israeliticam liberationem secuta.

Quæ Israelitarum factam per Judith liberationem secuta sunt, statui possunt duplicia, quædam scilicet ante Judith mortem, quædam post. Illa sunt potissimum octo, è quibus in hoc 15 cap. à vers 9, sunt quatuor. Insunt autem in eorum singulis plura quæ distinctius postea exponuntur.

Primum, Joachim cum presbyteris suis, de victoriâ Deo et ipsi Judith gratulatum venit. In Græco dicitur, cum ipso Joachim venisse Hierosolymitanus senatus, cum in Hierosolymitano senatu essent sacerdotes, ut ex 2 Paralip. 19, vers. 8, et ex dictis antea cap. 6, quæst. 5, patet, ut senatores presbyterosque istos è sacerdotali ordine inficeret, nulla sunt, prout in Bethulienibus presbyteris, eâdem questione illa, erant argumenta. Et cum pontifice tanto amore religioso, quos potius, quam sacerdo-

tes profectos existimemus? Eorum verò adventus causa triplex ponitur. Prima, ut bona quæ Dominus fecisset viderent. Altera, ut ipsam Judith inuenerent. Tertia, ut cum eâ pacem loquerentur, id est, eam salutarerent. Quia enim Hebræorum salutatio fiebat per pacis precationem, hinc alicui loqui pacem, vel ad pacem, est salutare. Unde quod Genes. 37, v. 4, dicitur non potuisse fratres loqui Josepho pacificè, Hebraicè est, loqui ad pacem, ut ne bonum ei quidem diem, nostro more, optare possent, non salutem ullam dicere. Est autem magnus honos tantæ dignitatis viros, tanto numero, tam longè feminam unam salutatum venire. Ista porro salutatio continuetiam ipsius Judith laudationem, et pro eâ precationem.

Laudatio facta Græcè dicitur, cum ad ipsam Domini isti ingressi essent, sed Latine, cum ad Joachimum pontificem ipsa exisset. Vide licet utrumque factum est: ipsa pontifici obviam processit; ille, ipsiusque cum eo presbyteri deinde introierunt, ipsaque tum verbis amplissimis efferre cœperunt, vers. 10, et quidem *ἑβραϊστὴν*, uno omnium consensu. Tu gloria Hierusalem. Græcè, tu altitudo, vel exaltatio Israelis. Tu laetitia Israel. Græcè, tu exultatio, aut jubilatio magna Israel. Tu honorificentia populi nostri. Græcè, gloriatio magna generis nostri. Et cause in Græco ponuntur istæ: Quia omnia hæc in manu tuâ fecisti; fecisti bona cum Israel, et ut in ipsis benè placitum haberet Deus, seu, ipsis benè vellet, ipsique benè faceret. Hæc si quidem importat τὸ, εὐδοκῆσαι ἐν πόλει, et *ἑβραϊστὴν* est ipsa Dei bona erga homines voluntas, de quâ Luc. 2, v. 14: Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis, quemadmodum eo loco monstrat Maldonatus noster. In Latino autem sunt, etsi verbis aliis, causa eadem, et earum causarum causa aliâ duplices. Unæ sunt meriti cuiusdam instar, et quæ à Deo tantam animi magnitudinem conciliârunt, castitas videlicet insignis, et iteratarum nuptiarum aspersionis, v. 11, *ed, ait, quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris*. Altera causa, vi et necessitate suâ omnino princeps est: *Mans Domini confortavit te*. Ordine tamen temporis et meriti, posterior significatur, dum dicitur, *idè, ect.* Tametsi enim gratiam primam nostrum nemo mereatur, ejus tamen incrementum, et auxilia quædam divina mereri licet. Præcatio porro est bipartita: Una eorumdem sacerdotum vers. 12: *Et idè eris benedicta in æternum*. Est autem istud, *eris, acclipen-*

dum pro sis, eo modo quo apud Latinos dici solet, valebis, pro vale. Nam in Græco est: *Benedicta fias, seu benedicta esto ab omnipotente Domino in æternum tempus*. Et quia *ἑβραϊστὴν* est benedicti et laudari, simul in Græco monstratur unde verâ benedictio et laudatio expectanda sit, i Deo scilicet, rursumque qualis, non fluxa, inconstans et brevis, sed solida, constans, in omnem permanens æternitatem. Altera præcatio est ipsius populi totius, dicentis: *Fiat, fiet*, quod jam supra semel iterumque occurrit c. 10, v. 9, c. 13, v. 26, *ἡμῶν*, quo Hebræum Amen declaratur; de quo Num. 5, cap. 22, Dent. 27, 16, Psal. 40, vers. ult. 1 Corinth. 14. Dices malè videri ab interprete Latino id versum, cum, in alteratione cum Pascentio epistolâ 178, dicit Augustinus. « Sciendum est, Amen et Alleluia, quod nec Latino, nec Barbaro licet in suam linguam transferre Hebræo cunctas gentes vocabulo decantare. » Respondeo D. Augustinum tantum asserere, in iis Ecclesiæ carminibus et precibus, de quibus etiam D. Hieronymus præfat. lib. 2 in Epistolam Galaticam, quæ voces istas retinuerunt, fas privato nulli esse pro iis Latinas aut vernaculas quascumque substituere. Illud potius notetur in Hebræorum libro, qui *Masseketh susah* inscribitur, tradi solitum apud Judæos, quoties populo Amen respondendum esset, signum edere archisynagogum sudario circumacto; rursumque duplex esse, Amen, legitimum et illegitimum. Atque hoc triplex, pupillum, surreptitium, scitile, quorum primum est, cum ea quibus respondetur, Amen, non intellecta sunt; secundum, cum antequam finiuntur, præpostera festinatione, Amen pronunciat, et illorum veluti finis surripitur; tertium, cum aliud mens agit, ut dissecta ipsa sit, et, mediâ veluti ex parte tantum, quæ dicitur, admittat. Est alioquin etiam interdum Amen approbationis, vel affirmationis formula, quæ ab Aquilâ *παραπομπῆς* fideliter, vertitur, aut *ἑβραϊστὴν verum*, aut *verè*, ut ait Isaiæ 65 D. Hieronymus, et Epist. ad Sophronium quæ incipit, *Scio*, et ad Marcellam, Epistolâ Nuper.

Alterum, ex iis octo quæ ante Judith mortem proposita sunt, est spoliorum collectio, quæ toto mense facta dicitur, partim quidem, quæ hostium opulentissima castra erant, plurimamque urbium et provinciarum opibus onustissima; partim, quia varias per partes et longè insecuti sunt Israelitæ: illos fugientes, Damascus usque, ut antea dictum est. Dum

igitur Assyriorum strages editur, eorum spolia unum in locum, ut dividantur, ex iis quæ optima quæque ipsi Judith dentur, coaccervantur, mensis labitur. Multæ et insignes partim antea, partim postea victoriæ fuerunt, sed earum ferè præda, non dierum quibus collecta est numero, sed pretio ipsius rerumque captarum numero indicatur, ut hic supra, vers. 8, et 1 Paralip. 5, vers. 21, et lib. 2, cap. 14, vers. 14, 15, et apud Herodotum lib. 6, Plinium lib. 33, cap. 5, Diodorum lib. 43 et 47, Josephum lib. 47, c. 43, Livium decad. 3, lib. 2 et 3, Guillelmum Tyrium lib. 6 de Bello sacro, cap. 22. In illâ tamen contra Saracenos celeberrimâ victoriâ, quam anno Domini 1212, in Hispaniâ Christiani obtinuerunt, tanta telorum hastarumque multitudo existitit, ut lignis toto biduo, ad coquendos cibos, aliis nullis opus fuerit, ut refert lib. 44, cap. 24, Mariana. Mira verò apud Ezechielem cap. 39, vers. 9 et 10, victoriæ contra Magog descriptio: *Egre dientur habitatores de civitatibus Israel, et succedent, et comburent arma, clypeum, hastas, arcum et sagittas, et baculos, manus et contos, et succedent ea igni septem annis. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de salibus, quoniam arma succedent igne*. Licet enim ista, cum D. Hieronymo, de vincendis ab Ecclesiâ catholicâ hæreticis, exponantur, quàm præclara tamen victoriæ hypotyposis!

Tertium, præmia ipsi Judith dantur, omnia quæ Holofernis fuerant, vers. 14, et enumerantur in Latino, quoad materiam, omnia scilicet aurea, argentea, et quoad formam, vestes, gemmæ, supellex universa, in quâ Græcè *tabernaculum*, et *strata* etiam ponuntur, et cap. 16, vers. 23, nominatim recensetur memorabile illud *conopæum*, quod cap. 15, vers. 10, sustulerat. Græci caput afferenti dedit Hieronymus consul auri tantum, quantum capitis illius pondus erat; et quod gravius id esset, extraxit Septimuleius percussor cerebrum, ejusque in locum plumbum suffudit, ut narrat Plutarchus, Appianus, Valerius, D. Augustinus lib. 5 Civit. 24. Munificentior in Holofernis caput afferentem Juditham, populus, quia et ipsa multò præmiis omnibus dignior, et ea, quam pepererat multò erat salus illustrior. Refert Strabo, lib. 15, fuisse apud Indos moris, ut quæ mulier ebrium regem interdicere potuisset, præmii hoc haberet, ut successori haberet. Quid ergo Judith, quæ hostem et hostem adeo trulentum ebrium juglavit? Græcè subditur, *impossisse ipsam omnia in mu-*

